



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Bartolomaei Salvatii Ordinis F. Minorum de  
Obseruantia, Lvx Animæ Ad perfectionem anhelantis ;  
Opvscvlvm Insigniter pium, et perfectionis studiosis  
neceßarium**

**Cambi, Bartolomeo**

**Coloniae, 1606**

Fons limpidißimus & iucundißimus hortum orationis irrigans. Cap. 24.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50816)

benedicam nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi.

Per singulos dies benedicam tibi: & laudabo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi.

*Fons limpidissimus, & iucundissimus  
vniuersum hunc hortu-  
lum irrigans.*

CAPVT XXIV.

**E**CQUID huic nostro hortulo ad perfectionem deest, nisi fons viuus & perennis, qui flores & teneras plantationes irriget? O IESU Crucifixus nunquid pulchriorem & viuaciorem fontem teipso reperire poteris, qui pluribus è locis, speciatim è quinque vulneribus tui sacri corporis, non tantum riuos, sed abundantissima flumina pretiosi sanguinis scaturis?

Tu itaque IESU in Cruce pendens, sis fons indeficiens exigui huius hortuli: aqua sit pretiosissimus sanguis tuus.

P 6 Obe-

O benedicte & dulcissime sanguis Christi, te adoro, tibi que omnem illam venerationem & cultum exhibeo, quem tibi deferri possibile est: aut certe quia tantum facere nequeo, hoc ipsum facere desidero: & si in potestate mea esset, facerem.

O Sanguis pure & innocens, qui de corpore IESU profluxisti, quis mihi te in vas pretiosum tibi conueniens colligat, ut te potare, atque animam meam diuino amore inebriare valeam?

O Sanguis benedicte, utinam presens extitisses, quando primum de corpore IESU dum in tenella aetate infans octo dierum circumcideretur, profluxisti, te reuerenter collectum ebibissem.

O Sacrosancte sanguis, o pretiose liquor, utinam adfuissem quando abundanter de sanctissimo corpore Christi in agonia existentis profluxisti, diuinam faciem eius irrigasti, vestes infecisti, & terram lapides ac herbas nimium felicitis illius horti conspersisti.

© vti-

O vtinam præfens fuiffem, Num  
 certè, antequam in terram dilapsus  
 fuiffet, cum omni diligentia exce-  
 piffem, faciem tuam abfteriffem,  
 quamuis dignus ei appropinqua-  
 re, aut oculos in eam defigere, non  
 fuiffem: Et fi aliqua pars eius in ter-  
 ram cecidiffet, eum reuerenter col-  
 legiffem, humum & herbas linxiffem,  
 lapidesque abluiffem, ac deof-  
 culatus fuiffem.

O I E S V mœfte & afflicte, vti-  
 nam te fequi potuiffem, quando ex  
 horto vinctus Hierofolymam ad  
 domum Pontificum perductus fu-  
 iffis, vbique fanguinis veftigia relin-  
 quens, certè quanta maxima fieri  
 potuiffet cura collectum fuauiter  
 ebiffem.

O I E S V fpes mea: vtinam adfu-  
 iffem, quando in domo Annæ im-  
 maniter in maxillâ pugno percu-  
 ffus: & quando in domo Caiphæ  
 Pontificis tota nocte indigniffimè  
 tractatus, cæfus, conffutus, flagel-  
 latus fuiffis, vniuerfum palatium  
 carceremque in què detruffus fuiffis,  
 P 7                      fanguis

• sanguinis riuus aspergens. O spes mea, cum lachrymis omnem hunc sanguinem conquississem, & epotasssem, cunctaque loca vbi vestigia eius inuenissem, osculatus fuisssem, & lambendo deterfisssem.

• O IESV amor meus, vtinam dignus habitus fuisssem, te summo mane vinctum comitari à Caipha ad Pilatum: à Pilato ad Herodem: ab Herode rursus ad Pilatum; ac cernere te loca omnia quæ vestigijs premeres sanguine inficientem, quàm dulciter illum collegissem.

• O bone IESV spes animæ meæ, vtinam præsens extitisssem, quando vestibus exutus, & atrocissimè flagellatus fuisti, ingentemque lacum sanguinis in terra reliquisti: sanè illum quàm diligentissimè, ad vltimam vsque guttam collegissem, totumque exhausisssem: Ipsam etiam columnam & flagella sanguine tuo tincta lingua deterfisssem: ipsq; dulcia oscula impresisssem, & terrâ lachrymis oculorû meorû irrigatam & ablutam osculatus fuisssem.

O IESV

PARS SECUNDA. 357

O IESU vita vite meae: vtinam  
adfuiffem quando diris spinarum  
aculeis caput tuum sanctiffimum  
perforatum fuit: non expectaffem,  
quoadufque pretiofiffimus ifte fan-  
guis tuus in terram defluxiffet, fed  
vas aliquod mudum fuppoiffem,  
fanguinemque ex capitis vulnere-  
bus spinarum immanitate inflictis  
per oculos & vultum defluentem  
reuerenter excepiiffem, ac ebibi-  
ffem, vt anima mea diuino amore  
inebriata fuiffet.

O IESU cor meum, ne vn-  
quidem guttulam pretiofi tui fan-  
guinis neglexiffem, fed omni ftudio  
totam aulam, Prætorium, & gradus  
quos defcenderas, quando à palatio  
Pilati ad montem Caluariæ crucifi-  
gendus ductus fuiffi, perfcutus  
fuiffem.

OMARIA mater IESU, interea  
dū tu filio ponderofam Crucis tra-  
bem ad locū Caluarię baiulanti ob-  
uiā facta, in terrā exanimis corru-  
iffi, ego pretiofū fanguinē eius col-  
legiffem, & eum terra ac lachrymis  
tuis

352 HORTVS ORAT.

tuis permixtum epotassem, filium-  
que tuum vsque ad montem Calua-  
riae comitatus fuiffem.

O IESV mi non prouocaffet  
mihî nausca potio pretiosi sangui-  
nis tui, qui e corpore tuo lacerato  
defluxit, quando in Crucem agen-  
dus, vestibus exutus fuisti, qua de-  
spoliatione omnino tua vulnera de  
integro renouata sunt, & sangui-  
nem copiosissimè manarunt.

O IESV viscum bonum meum:  
utinam praesens extitiffem, quando  
duris clavis Cruci affixus fuisti: al-  
liud nihil egiffem, quam quod de  
manu ad manum, de pede ad pe-  
dem, tui sanguinis congregandi  
gratia cucurriffem, ne in terram  
fluxiffet, eumque simul collectum  
ebibiffem, vt tui amore inebriarer.

O CRUX sancta sanctissimo &  
purissimo sanguine Christi con-  
spersa, te diligentissimè lingua de-  
teriffem, & osculatus effem.

O Virgo immaculata, tuum et-  
iam pallium & vestes visitassem, in-  
deque sanguinè IESV Christi filij

viii

tui, quo aspersa fueras, collegissem.

O Ioannes: O Magdalena, qui plorantes ad pedes Christi crucifixi Magistri vestri consistebatis, vestra etiam vestimenta osculatus essem, lambissem, & pretiosum IESU Christi sanguinem exuxissem.

O dira & crudelis lancea, quæ post mortem ne sancto quidem corpori minimè pepercisti: sed pectus eius transfodisti, utinam adfuissem, non expectassem quousque pretiosus Christi sanguis aqua permixtus (vbi S. Ioannes ait: *Exiuit sanguis & aqua* Ioan. 19.) in terram manasset, sed continuo accurissem, & ore meo omnem illum sanguinem excepissem, forsitan etiam immanitatem illius, qui in mortuū corpus tam acriter defæuit, præuenissem, & mitigassem.

O sanguis dulcissime, O sanguis purissime, tui colligendi causa ipsam etiam crudelem lanceam osculatus essem, neque me acutissimæ spinæ impediuissem, quo minus in sacra corona, qua caput tuum coronatum fuit, omnem sanguinem collegissem. O Sa-



O Sacrosanctē sanguis ferreos etiā  
 clauos, quib⁹ manus & pedes cōfixi,  
 catenas, & funes quibus collū tuum  
 ligatū, & constrictum fuit, ore con-  
 tingere non erubuisē: Imò, O bone  
 Iesu, salus animæ n̄ræ, tui sanguinis  
 colligēdi gratia nec immundas car-  
 nificum & tortorū tuorum vestes  
 lambere verēcū datus fuissē.

O Sanguis dulcissime, tāta est dul-  
 cedo & suauitas tua, vt si à fœdis &  
 immundis sputis spurcissimorū Iu-  
 daeorū, quibus in facie Christi per-  
 mixtus eras, te separare non potuis-  
 sem, ea tecum pariter exhaustissē.

O inmensa sanguinis Iesu Christi  
 dulcedo: ò suauitas: ò saccarū: ò mel:  
 ò Manna: ò nectar suauissimū: ò am-  
 brosia dulcissima. O sanguis, ò san-  
 guis, ò sanguis Domini mei I E S U  
 Christi inebria animam meam.

*Iean. 6.*

*Caro mea verè est cibus, & sanguis meus  
 verè est potus. Dic mihi, amabo te, ani-  
 ma mea, quid causæ est, quòd cum  
 quotidie in Sacrosancto Eucharistie  
 sacramēto immaculatā Christi car-  
 nem manduces, & pretiosum illius*

sanguinē bibas, nō tamen inebrieris?  
 Quomodo fieri potest, vt in dies sin-  
 gulos ardentē ignē gloriosi corporis  
 & sanguinis Iesu Christi sub sãctis &  
 venerãdis specieb<sup>9</sup> panis & vini per-  
 cipias, & non ardeas? O te tepidã: ð  
 frigidã: ð glacie constrictã, & tantũ  
 non mortuam: redi ad teipsã, & ad  
 sponsum tuũ clamã, vt sua pietate ac  
 clementia, tuum teporem calefacere,  
 & accendere velit, dicendo.

O Iesu adiuua me, & glaciẽ, quo cor  
 meũ opprimitur, dissolve, noli vltra  
 tardare bone Iesu quo minus miserã  
 animam meã tuo amore inflames.  
 Effunde in cor meum ardentissimam  
 fornacem tui amoris; O Domine da  
 ignem: Da ignē: O bone Iesu sponse  
 animæ meæ, incende, vre, & consume  
 illam totam, quãta, quanta est, in hac  
 tui amoris fornace. O ignis. O sancte  
 amor, noli vltra mihi parcere, sed in-  
 cende, inflamma, & consume tuo ar-  
 dore cor meũ. Fiat, Fiat ð bone Iesu,  
 per dulcem & pretiosum sanguinem  
 tuum te obsecro, voti huius me com-  
 potem effice. Amen. Amen.

IN

IN NOMINE  
PATRIS, ET FILII, ET  
SPIRITVS SANCTI,

*Amen.*

MONILE PRETIOSISSIMVM.

Quo quilibet sacrosanctum corporis & sanguinis Domini nostri IESV Christi sacramentum suscepturus collum exornet.

*Quid faciendum sit antè Communionem.*

**A** Nequam comedam suspiro, ait Job.

Primus annulus monilis huius sit, vt Eucharistiæ sacramentum, dignè, quatenus infirmitati humane possibile est, sumpturus: post diligentem omnium peccatorum confessionem peractam, & poenitentiam à Sacerdote iniunctam, si fieri potest completam, in locum ab hominum tumultibus remotum sedas, genibusque in terram positus, tertio terram humiliter osculeris, roties-

totiesque signum S. Crucis tibi imprimas, ac facie ad cœlum conuersa, tanquam Deū cernerēs, suspirium generale nostri testamenti, ex intimo cordis emittas: manibusque vel coniunctis, vel expansis dicas.

O Deus meus & omnia: Tuæ diuinæ maiestati me totum offero: à te peto: tibi gratias ago: te laudo, tibi pro perfecta conformitate, & arctissima tecum vnione supplico: Speciatim verò duo priora suspiria oblationis & petitionis iuxta eam methodum, quæ ibi assignata est, frequentabis, & gratiam te bene præparandi: & sanctissimum corpus & sanguinem Christi Domini nostri dignè suscipiendi flagitabis. Hactenus de primo huius monilis annulo.

Annulus secundus fit; vt subsignatas Euangelij sententias, quæ de sanctissimo hoc sacramento differunt, diligenter perlegas. Sunt autem hæ.

*Cenanti bus autem eis, accepit IESVS Matth. 26.  
panem, & benedixit, ac fregit: deditque  
disci-*

discipulis suis, & ait.

Accipite & comedite: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit & dedit illis dicens. Bibite ex hoc omnes. Hoc est enim sanguis meus, noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Ego sum panis vita. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de celo descendens, ut si quis ex ipso manducauerit, non moriatur.

Ioan. 6.

Ego sum panis viuus, qui de celo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, uiuet in aeternum, & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in uobis.

Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.

Caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo.

Sicut misit me uiuens Pater, & ego uiuo propter Patrem: & qui manducas me, & ipse uiuet propter me.

PARS SECUNDA. 359

Hic est panis qui de caelo descendit. Non  
sicut manducauerunt Patres vestri manna,  
& mortui sunt. Qui manducat hunc panem,  
vivet in aeternum.

O Promissiones eximias. Qua-  
propter anima mea exorna & prae-  
para te quam diligentissimè, vt  
insignes hosce fructus, quos te ex  
digna huius sacramenti perceptio-  
ne, consecuturum caelestis sponsus  
tuus affirmat, adipiscaris.

Tertium huius monilis annu-  
lum constituent hæc verba, Ego  
stercus vilissimum & putidum ca-  
daver hodie Deum omnipotentem  
hospitio excepturus sum.

Hæc verba toto tempore ante  
communionem ore vel corde cir-  
cumferes ac ruminabis, atq; ex illo-  
rum consideratione te profundis-  
simè humiliabis.

Alia præterea insigni & magno  
vtilitatis methodo pro tui humili-  
atione vti poteris, qua te tanti my-  
sterij participatione, quatenus fieri  
potest, dignum reddes.

Poteris animo fingere atque i-  
magi-

maginari tibi vallem profundissimam, quo sit omnium immundiciarum, lordium & fæcum confluxus atque vbi simul commixta sint, lutum, sanies, sanguis, stercora. Et vt vno verbo dicam, abyssus immensa omnis spurcitiei, quæ animo concipi possit, & in hanc cogitationem te abijcies, teq; immundiorum, sordidiorum & foediorum, vniuersis hisce fæcibus existimabis.

Si hoc pacto te profundissime humiliaueris, dignus efficieris, vt illum, quem omnes creaturæ suscipere indignæ sunt, suscipias: atque hæc est vera pro tantorum multorum perceptione præparatio: Et proinde qui dignè ad illa accedere desiderat, certò sibi persuadeat, nihil excellentiorem & præclariorum præparationem esse, quam profundam humilitatem, quo se indignum existimet, qui non modò carnem Christi manducet & sanguinem bibat, sed etiam indignissimè qui ore pronunciet.

Qui itaque in hanc virtutem ma-  
nis

PARS SECVNDA. 361

ius studium contulerit, ac profundius se humiliauerit, dignior erit qui tanta mysteria participet.

Haectenus de his quæ faciendæ sunt ante communionem.

*Quid in communionefaciendum sit.*

*QVIS poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius? His verbis vsi fuere Bethsamitæ, propter arcâ foederis, quando ad eorum fines aduecta, & magna pars populi, quòd eam vidissent, percussa fuerat.* 1. Reg. 6.

CONSIDERA igitur anima mea quid tibi dicendum sit quando ante conspectum Dei creatoris, & saluatoris tui pergis, non tantum, vt coram eo consistas: sed etiam vt eum ore suscipias, lingua contingas, deglutias, atque in viscera tua recondas: vt etiã cum illo vniaris, ac in illum tota transformeris. O eximiam dignitatem tuam, ô anima, quæ Deum hospicio excipis. O imensum IESV Christi amorẽ, qui ad te vltro venit, seq; à te mäducari  
Q pati-



patitur, vt te secum vniat, atque diuitiarum suarū consortem efficiat.

En quanta tibi subest occasio, eadem verba quibus Bethsamita vsi fuerunt, vsurpandi. Quis poterit stare ante conspectum Domini Dei sancti huius? quis audeat appropinquare illi? quis dignus sit illum suscipere? quis dignus sit illum manducare atque in viscera recondere? imò quis dignus sit illum aspicere? aut quæ creatura siue cælestis, siue terrestris in seipsa considerata digna sit ipsum nominare? O mysterium singulare. O sacramentum eximium: O abyssus omnē intellectū Angelicum, & humanum superans.

Cum itaque accessurus es ad susceptionem tantæ Maieffatis, quando constitutus fueris ante conspectum illius, vt ex parte tua, quæ facere potes non negligas, tria hæc, quæ tres annulos huius aurei mobilis constituent, facito.

Primo suspirium illud generale, O Deus meus & omnia repete, speciatim verò suspirium illud de similitudine

PARS SECUNDA. 363

militudine ac vnione cum Deo, & dic: O Domine transmuta me totum in te, meq; tibi inseparabiliter vni, ac tuæ diuinæ voluntati meam voluntatem conforma.

*Secundò*, imaginare tibi, imò certè tibi persuade te ante conspectū viui & veri Dei consistere, quamuis eum oculis corporeis non cernas: utq; hoc exactius tibi representes, finge animo, cælū & terrā atq; omnia elemēta, & vt vno verbo dicam, vniuersum hūc mundū esse, flagrantissimum ignem ac luculentā flammam, aut certè solem lucidissimū & splendidissimū, teq; immenso huic igni, splendidaque solis luci vniendum esse.

Deinde cogita ignē & solem hūc esse duo, quæ ne minimā partē eius quid sit Deus, ad quem suscipiendum pergis, & in cuius præsentia consistis, adumbrare possint: sed ab his tantū exemplis te ineffabilem illius Maiestatem, coram quo altas, quem suscipere & cum quo vniri desideras, conijcere debere.

Q. Hic

Hic tum ex diligenti horu confideratione temetipsam in inexhausto hoc pelago, in mari hoc vastissimo, ac abyfso immensa & extra te ipsam constituêris: sentiesque dulcedinem diuinæ vnionis, ac suauitatem lapidæ carnis, ac pretiosi sanguinis Agni immaculati IESV Christi sponsi tui veri, viui, & summi DEL.

Hic, ô anima, inebriaberis in cella vinaria IESV sponsi tui, hic fragrantissimo amore erga Deum & proximum succenderis: hic incipient in te omnes passiones interire: quid amplius? Hic tota tibi metipsum morieris & immutaberis, hic denique non modò vulneribus manuum ac pedum ac vulnere lateris IESV Christi sponsi tui immersa, ac sanctissimis visceribus atque corde illius conclusa, atque animæ illius vnione ineffabili vnita eris: sed etiam, (ô rem præclaram, & obstupendam) temetipsam omninò perdes, atque oberrabis in immensa diuinæ essentia abyfso, summoque,

ac super omnia amando Deo unione  
arctissima copulaberis.

*Tertio*: reputabis te prorsus indignum qui oculos ad diuinam maiestatem in hoc sacramento verè præsentem eleues, ac vsque ad profundum inferni, atque abyssi te deprimes, potiusque dignum existimabis, qui cum omnibus damnatissimis inferni loca recludaris, quàm quæ sacri corporis & sanguinis Domini particeps fias.

Hoc autem faciendo annulum eximij decoris conficies pro hoc monili, quo collum tuum exornes, gratiorque & acceptior reddaris oculis sponsi tui.

*Quid faciendum sit post  
communione.*

QVID retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Quid tibi, ò Domine, rependam pro tam insigni beneficio quo me affecisti, quod dignatus es in hoc sepulchrū, in hanc cloacam, & in hanc senti-

Q 3. nam

nam descendere? O Domine. O Domine. O Domine, quid agam? quid dicam? quas tibi gratiarum actiones referam? quas tibi laudes concinam?

His dictis suspirium gratiarum actionis & laudis, vbi in nostro testamento descriptum est, assumes ad dices: O Domine, o ignis animae meae, cogo pro singulari hoc beneficio, & ceteris beneficijs omnibus, quae vnquam in me contulisti, gratias & laudes quas possum maximas tibi reddo: & haec dicendo intendes ei omnes illas laudes, & gratiarum actiones referre, quas suspiria iam dicta in se complectuntur, & maiores etiam si possibile foret.

Pro secundo vero huius monitis annulo, sacra comunione peracta, posteaquam ineffabilem summi Dei Maiestatem hospitio exceperis, in locum solitarium secede, manus in modum Crucis supra pectus compone, pectusque tuum brachijs stringe, quasi aliquid carum, & pretiosum complectereris: quia reuera sum-

mm

nam atq; sempiternum Deum totius naturæ conditorem, atque omnium visibilium & inuisibiliū perfectiones in se continentem, corporaliter in te præsentem habes.

Potes etiã animo fingere te Iesum brachijs tenere, illumq; sub aliquo mysterio tibi præsentẽ imaginari & considerase: quæ quamuis omnia bona sint, attamen si illum tibi repræsentes flagellatum: aut spinis coronatum: aut crucem ad montem Caluariæ baiulantem: aut nudum cruci affixum: aut de cruce depositum, ac totum vulneribus plenum, & sanguine deformatum, maiorem cõpunctionis & inflammationis materiam habebis.

Potes etiam illum imaginari præsentem in eã pulchritudine & gloria, qua fuit quando à mortuis resurrexit: quando Matri suæ post resurrectionem visendum se præbuit: quando coelos ascendit: & qua nunc est ad dexteram Patris in coelo residens: & cum illo manendo in delitijs eius iocundari.

Q. 1. Ter.

Tertium annulum huius monialis orationes iaculatoria quæ sequuntur constituent: quas ore aut corde proferes, prout Spiritus tuus postulauerit.

O I E S V per hunc sanctum panem, & hoc cæleste vinum, vni me tecum inseparabiliter.

O I E S V transmuta me totum in te.

Fac Domine vt caro & sanguis meus, fiant caro & sanguis tuus.

Transformer, ô Domine, totus in te, nō tantum secundum carnem & sanguinem, sed etiam secundum animam.

O I E S V quàm dulcis est caro tua sanctissima.

O quàm suavis est sanguis tuus pretiosissimus.

O caro I E S V agni immaculati quæ cōfers vitam animæ meæ, quid tibi pro tanto amore rependam?

O sanguis dulcissime vnigeniti Dei filij, effice vt totus diuino amore inebrier.

O corpus, ô sanguis Iesu Christi,  
quib

PARS SECUNDA. 367

quis dignus sit vos nominare, ne dicam manducare & bibere?

O caro pretiosissima. O sanguis dulcissime. Mundate miseram animam meam, eamque diuino amore succendite.

O I E S V quàm ingens est amor tuus, quo erga ingrati & beneficiorum inmemorem animam meam flagras?

O I E S V quàm benignus & clemens es, quandoquidē ad innumerabilia scelera mea, quibus te offendi, non respicis?

Benedictus sis tu benignissime I E S V, qui tam pius & nostri amans es.

Benedictum sit sanctissimū corpus tuum, & innoxia, ac immaculata caro tua.

Benedictus sit pretiosus sanguis tuus, quem mei amore, vt illum mihi potandum præberes, effundere voluisti.

O caro benedicta, quàm sapida & gustui iucūda es, sed hoc mirum non est, cum caro diu multumque

Q. 2gi



370 HORTVS ORAT<sup>7</sup>  
agitata & multis ictibus caesa gustatui gratior sit.

O dulcissime amor. O I E S V  
suauissime, quam atrociter caesa &  
flagellata fuit innocentissima caro  
tua?

O I E S V amor meus: O sponse  
animæ meæ quam immaniter tra-  
ctatum fuit sanctissimum corpus  
tuum?

O corpus arundinibus percus-  
sum: pugnis & alapis caelum: stumi-  
lis & calcibus protrusum: ac deni-  
que duris fustibus verberatum.

O I E S V quis æstimet quam sæ-  
pe idem sanctissimū corpus tuum  
per humum tractum fuerit?

O caro flagris immaniter conci-  
sa & lacerata, hodie te manducaui.

O manus: O pedes domini mei  
I E S V Christi, durissimis clavis  
confixi, hodie ore meo vos contigi.

O maxillæ pugnis & alapis linte-  
dæ: ô collum multis verberibus &  
percussionibus contusum, hodie  
quamuis indignus vos manducaui.

O caput Domini mei Iesu Christi

vul.

PARS SECUNDA. 371

vulneribus, & punctiōibus spinarum crudelitate inflictis, refer-  
tum arundinibus & fustibus quas-  
satum & labefactatum hodie te in-  
dignus sumpsi.

O os. O lingua. O latus. O cor. O  
viscera IESV Christi suavissima,  
vos hodie suscepi, vt vobiscum in-  
corporarer atque vnirer.

O anima. O corpus totum Do-  
mini mei IESV Christi, vnà cum  
neruis, ossibus & iuncturis, vos ego  
vilissimus peccator, hodie in visce-  
ra mea suscepi.

O sanguis pretiose, hodiè te bibi,  
atque in præcordia mea effudi, vt à  
te diuino amore inebriarer.

O corpus. O sanguis. O Anima.  
O Diuinitas. O IESV Christe DE-  
VS & homo, te totum ego indig-  
nus in animam & corpus meum  
hodie suscepi, vt tibi semper vnitus  
essem.

O IESV dulcissime. O DEVS  
optime maxime, quis es tu, & quis  
sum ego?

Tu es DEVS inuisibilis, æternus,

Q 6

immes-

372 HORTVS ORAT.  
immensus, ineffabilis & inæstimabilis: ego autē vile stercus & lutū.

MODVS ALIVS  
breuior ad S. Communio-  
nem se præparandi.

Quid communicaturus facere debe-  
at ante communionem.

I. Cor. II.

PROBEY autem s. ipsum homo, & sit  
de pane illo edat, & de calice bibat. Qui  
enim manducat & bibit indignè: iudicium  
sibi manducat & bibit, non dijudicans cor-  
pus Domini, ait S. Paulus Apostolus.

Qui communicaturus est, poste-  
quam præmissō diligenti examine  
conscientiæ, omnia peccata sua ritè  
confessus fuerit, eorumque indul-  
gentiam à Deo humillimis preci-  
bus postulauerit: pœnitentiam et-  
iam à Sacerdote iniunctam, si possi-  
bile fuerit; compleuerit: in locum  
aliquè secretum, & ab hominibus  
semotū sese abdat: atq; mente à sen-  
sibilibus rebus auocata, suam mise-  
riam tam animæ quàm corporis at-  
tencō

contè consideret: atque è contrario  
 excellentiam & pulchritudinem  
 Dei, quem in hoc Sacramento sus-  
 cepturus est, mente reuoluat. Con-  
 siderando autem miseriam, poterit  
 imaginari se esse in valle quadam  
 omni immunditie ac sordibus re-  
 ferta, vti supra diximus: & in hac  
 cogitatione maxima temporis par-  
 te; imò si aura diuinę gratiæ aspira-  
 uerit, toto matutino tempore im-  
 morabitur, vt sic profundissimam  
 in se humilitatem excitet.

Deinde vbi caput è suis miserijs  
 extollere, atq; ad diuinā excellen-  
 tiam illius quę suscepturus est, con-  
 templandam, erigere volet; poterit  
 mente altissimum aliquem mon-  
 tem, aut mediam aëris regionem  
 ascendere, atque inde vnuerfas or-  
 bis partes, superiores & inferiores,  
 intueri: cælum & terram cum om-  
 nibus elementis: Solem, Lunam,  
 stellas atque omnia luminaria quę  
 vnquam fuerunt, sunt & erūt, quot-  
 quot Deus sua virtute creare pos-  
 set: Omnes item margaritas, gem-

74 HORTVS ORAT.

mas, lapides preciosos, aurum, & argentum, & quicquid in rebus conditis fuit, est, aut per virtutem diuinam esse potest pulchritudinis: omnes demum flores, lilia, rosas & violas, omnem viriditatem & decorem herbarum & arborum, quæ sunt, fuerunt, aut esse possunt per potentiam Dei.

Imaginetur sibi etiam se cernere mare tanquam perlucidum chry-stallum: terram tanquam ingentis magnitudinis carbunculum miro modo rutilantem: aërem verò tanquam vitrum splendidum: & posteaquam omnem hanc pulchritudinem conspexerit, intra se dicat.

Quid sunt omnia hæc si cum corpore & sanguine Domini mei Iesu Christi, ad quem suscipiendum pergo, conferantur? Atque in hac consideratione toto matutino tempore immoretur, attonito ac stupenti similis: atque hæc verba frequenter ore vel corde proferat.

IESU mi, IESU mi, quis es tu, & quis sum ego.

quid

PARS SECUNDA. 37

*Quid facere debeat in com-  
munionem.*

Iam verò accessurus ad altare,  
aut etiam paulò antè, poterit, uti  
supra diximus imaginari sibi mun-  
dum vniuersum, tanquam Solem  
lucidissimum, aut tanquam ignem  
vel luculentam flammam: seque nunc  
pergere, ut cum clarissima luce hu-  
ius Solis, ardore illius ignis con-  
iungatur atque vniri: ac proinde  
feruèter ad diuinam vnionem aspi-  
rabit, quòd si ritè fecerit, in sanctis-  
simi huius Sacramenti perceptione  
sentiet se totum modo ineffabili  
Deo in hoc Sacramento coniungi  
atque vniri.

*Quid facere debeat post Com-  
munionem.*

Percepto suauissimo hoc epulo,  
in locum ab hominum tumultu semo-  
tum recedet, atque in illa dulci  
vnione cum Deo quamdiu pote-  
rit persistet: in immenso illo igne se  
succendet & inflammabit: splendi-  
dissima

disima illa luce perfructur: & eū  
quem hospitio excepit in secreto  
cordis sui verbis dulcibus & ama-  
bilibus alloquetur: dicetque.

O dulcissime sponse IESV  
Christe, quā ingens est amor tuus  
quo me cōplecteris, quid est quod  
ō IESV sponse, frater, & amice mi,  
huic miseræ animæ exhibes?

Felix & fortunatus fit aduentus  
tuus amantissime IESV.

Noli vnquam recedere à me, dul-  
cis amor.

Noli me derelinquere suauissi-  
me IESV. Et si omninò abscedere  
cogitas, non prius hinc abi quā  
me totum amore tuo succenderis:  
vt facibus amoris tui cor meum ar-  
deat, consumatur, & colliquecat.

Liquefac ō bone IESV cor me-  
um, omni adamante durius.

In his & similibus verbis, alijs-  
que dulcibus colloquijs, ō anima,  
post communionem, cum sponso  
tuo in locum secretum abdita,  
occupaberis: speciatim verò hæc  
verba semper ore & corde post  
com-

communione circumferes.

O DEVS meus & omnia.

*Qua notanda sint post Com-  
munionem.*

*Primò:* Cauebit comunicãs ne statim ad garrulitates, inania colloquia, aut alia minus necessaria negotia se conuertat: sed cum Deo, quem intra se præsentem habet, conuersabitur: atq; idcirco aliorũ confortia præ illo negliget ac parupēdet. Custodiet etiam se solito diligentius ab omnibus peccatis venialibus & mortalibus.

*Secundò:* Aliquantisper abstinence ab excreatione ac sputatione nisi manifesta necessitas vrgeat, idque ob reuerentiam illius sanctissimi corporis, & pretiosi sanguinis quem suscepit.

*Tertiò:* Condecens etiam fuerit, vt tam diu à cibo & potu, nisi aliud necessitas suadeat, se abstinenceat, quousque accidentia panis & vini consumpta fuerint. quia quamdiu illa integra & incorrupta manent, san-

ctissimi



ctissimum hoc sacramentum in visceribus illius qui communicauit, verè, ac realiter manet.

Quod si quæras, quantum temporis sufficiat, vt illæ species consumi possint? Respondeo secundum meum iudicium omnibus vniforme tempus statui non posse: cum enim istæ species à calore naturali in stomacho existente consumendæ sint, atque vnus altero calidior sit, temerarium existimo, tam diuersis hominũ complexionibus vnã assignare regulam: atque idcirco vnusquisque in hoc vti poterit iudicio ac deuotione sua, diligenter considerando locum, tempus, necessitatem, cæterasque concurrentes conditiones.

*Methodus sanctissimum Eucharisticum Sacramentum spiritualiter suscipiendi, quoties libuerit.*

*Psalm. 118. Os meum aperui, & attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam. Si anima mea deuotione erga hoc sacrosanctum mysterium accendi, & frequenter*

quenter vniri, atque illud quoties-  
cunque placet, spiritualiter suscipere  
desideras, hac methodo vtere.  
Flecte primū cum insigni pietate  
ac deuotione genua: & ardenti desi-  
derio dilectum sponsum tuum IESUM  
suscipere, ac corpus eius man-  
ducare, atque sanguinem bibere  
concupisce.

Deinde propone tibi mente vas  
pulcherrimum ac nitidissimum,  
hostijs paruis consecratis plenum,  
aut vnam duntaxat hostiam conse-  
cratam continens: Deumque hinc  
verē presentem in spiritu & veri-  
tate adora: atque inflammato cum  
effectu feruentibusque suspirijs ei  
coniungi atque illum suscipere de-  
sidera: Posthac os tuum aperi atque  
calici admoue: & halitum suauiter  
emitte, iterumque attrahe, quasi  
sanctissimum sacramentum susce-  
pturus: sicque aliquamdiu perma-  
ne, profunda ex imo cordis præ il-  
lius desiderio suspiria trahendo.  
Credemihī, si hoc sæpe egeris, non  
multum temporis intercedet, quin  
suauis-

380. HORTVS ORAT.

suauissimam cum corpore & sanguine Christi vnionem senties, atq; immensam dulcedinem ac suauitatem, innoxiam atque immaculatam illius carnis percipies.

Hic aspirationis modus animæ ad diuinum amorem anhelanti utilissimus & convenientissimus est, quem omni tempore & loco exercere poterit, atq; ex illius frequentivusu mirabiles fructus hauriet: ac suauissimam diuinæ vnionis dulcedinem gustabit.

Eandem aspirationis methodum vsurpare poterit in suspirando ad diuinam vnionem omni tempore & loco, quamuis locus secretus ac commodatior sit.

Procedet autem hoc pacto: Quotiescunq; Deo vniri, ac diuinis amplexibus constringi cupit, primum vt supra diximus, deuotè genua flectet: Deinde considerando quòd Deum sibi præsentem habeat, atque in eius còspectu assistat, immensamque illius essentiam ac excellentiam animo voluendo, cum feruentibus

bus desiderijs illo perfruendi, os, vt paulò ante diximus, aperiet, halitumque emittet ac retrahet, quasi eum quem nulla omninò creatura res creata capere aut circumscribere potest, suscepturus esset, sicque paulisper subsistendo, & fortiter aspirando, mirabilem diuinæ vnionis effectum in se sentiet.

*Documenta quadam ad faciliorem  
precedentis methodi exerci-  
tationem.*

*Primò* aduertendum est: Cùm anima bene per deuotionē disposita & collecta est, ardenti que erga Deum desiderio flagrat, facile sequi optatum effectum, ac proinde sufficere vt leniter & cum quadā mentis suauitate suspiret.

*Secundò* aduertendum: Quando in magna distractione atque ariditate constituta est, tum necessarium esse, vt aspirationibus vtatur violentis, vt sic natura bestialis, ad hęc terrena

322    **HORTVS ORAT.**

rena atque inferiora depressa, in Deum eleuari possit.

*Tertio* notandum: Caueri ac prospici oportere, ne hic modus aspirandi nature incommodet, eò quod interdum vsque adeò insurgat & commoueatur, vt corpus totum debilitet, pectus aponjat, caput aggruet, cor constringat, multosque alios effectus operetur, quibus facile, nisi maxima adsit discretio, natura destrui & labefactari possit.

*Quarto* aduertendam: vt si quis se debilitari, aut nimium constringi sentiat, lenibus aspirationibus utatur, atque his non iuuantibus, omninò exercitium hoc relinquat, atq; ad alia se couertat, ne naturam destruat.

Laus & gloria sit sanctissimæ & indiuiduæ Trinitati, Patri, & Filio, & Spiritui sancto: Atque corpori & sanguini Domini nostri IESV Christi.  
R. Amen.

MEDI-

MEDITATIONES DEVO-  
tissima de Venerabili Sacramento.

MEDITATIO I.

**C**oenanti- bus autem eis, accepit IESVS *Matth. 26*  
panem, & benedixit, ac fregit: dedit-  
que discipulis suis, & ait: Accipite, &  
comedite: hoc est corpus meum. Et acci-  
piens calicem, gratias egit, & dedit illis,  
dicens. Bibite ex hoc omnes. Hic enim san-  
guis meus novi testamenti, qui pro mul-  
tis effundetur in remissionem peccatorum.

CONSIDERA anima mea, men-  
sam illam sumptuosissimam, atque  
delitijs caelestibus instructissimam,  
in qua non manducantur carnes ag-  
norum, vitulorum, aut hircorum,  
sed vera caro veri & vini Dei Filij.  
O nimium felices Christi disci-  
puli, qui digni habiti fuistis huc  
mensae assidere, ac primi suavis-  
simas illas veri Dei carnes mandu-  
care.

O rem inauditam. O opus obstu-  
pendum: quod etiam pre admirati-  
one durissimis petris stuporem in-  
icere,

ijcere, easque præ vehementi admiratione disrumpere possit.

O Petre. O Ioannes. O Andrea. O Iacobe, ac ceteri, qui de huius sacri Apostolici collegij numero estis, vbi, quando, atque quibus officijs, insignem hunc fauorē promeruiſtis, vt huic mensæ assidere, & non modò cibus, quibus Deus vescitur vti: sed ipsius etiam Dei carnes manducare, & sanguinem bibere meremini. Vos nimium felices & fortunatos.

At ô te infortunatum Iudam Christi proditorem, quomodo in hoc sacrum collegium admissus fuisti? quis te ad hanc mensam introduxit? O lupe rapax, quomodo inter has oues assidere, ac mansuetus huic agno Christo Iesu in eadem mensa iungi nõ erubuiſti? O ingentem Christi amorem: Nunquid ô I E S V clam te erat, hunc te traditurum esse atque scelus hoc iam mente concepisse? Cur igitur illum ad tuum contubernium admissiſti, atque mensæ tuæ accumbere fecisti, & quod

PARS SECUNDA. 385

& quod maius est, mensæ sanctissimæ atq; cælestibus epulis refertæ?

O IESU dulcis amor, id pro mea instructione fecisti, vt ego à te disciplinam acciperem, quomodo erga inimicos me gerere debeam.

O IESU dulcissime sis tu in omne æuum benedictus, qui tanta benignitate ac clementia præditus es: sint etiam benedictæ manus tuæ, quibus sanctum panem contigisti, & benedixisti.

O sancte panis sis etiam benedictus, qui dignus fuisti à diuinis manibus IESU Christi cõtungi, frangi, & ore illius benedici & consecrari, & in verum corpus Filij Dei viui benedictionis transsubstantiari.

O DEI creatura super omnes alias felicissima, cui inter omnes creaturas hoc concessum fuit, vt possis in verum corpus creatoris tui conuerti ac immutari. Pape, vbi locorum vnquam aliquid tale visum vel auditum fuit, quod creatura in corpus Creatoris commutetur: imò vbi auditum fuit, quòd vna

R creatu-



creatura in aliam ne dicam in corpus conditoris sui conuerti possit?

Mutatur quidem interdum vnum in aliud per generationem & corruptionem, mutata forma, sed remanente materia: sed quòd secundum materiam & formam simul vnum in aliud conuertatur, hoc nunquam factum legitur præterquam in hoc mysterio: vbi materia & forma panis tota conuertitur, & transubstantiatur in verum IESV Christi veri Dei corpus.

O mysterium omnia cætera mysteria transcendens. o panis, super omnes Dei creaturas benedictus, lauda Deum, qui tibi & vino singularem hunc fauorem præstitit, vt tu in verum corpus: & vinum in verum sanguinem veri & viui Dei conuertaris.

O panis, O vinum, quomodo committere poterò, vt quoties vos viderò, aut nominari audierò, non omnem vobis honorem & reuerentiam illius amore, qui vos tanto fauore prosecutus est, deferam.

Quo-

PARS SECVNDA. 387

Quomodo, o benedictè panis, te  
in cibum sumere poterò, vt non  
præ dulcedine & consideratione  
huius mysterij deficiam? O benedi-  
ctum vinum, quomodo te bibere  
poterò, vt non præ suauitate lique-  
scam: considerando te esse felicissi-  
mam illam creaturam, quæ quoti-  
die in vniuerso mundo à ministris  
Dei in altari virtute verborum san-  
ctorum in verum sanguinem IE-  
s v Christi conuerteris?

O anima mea quomodo potest,  
vt quoties manducas panem, aut  
vinum bibis huius insignis mysterij  
non recorderis, atque te carnem  
Christi manducare ac sanguinem  
bibere existimans? O os. O lingua. O  
labia. O dentes. O palatum. O cor-  
pus meum totum, quoties his dua-  
bus creaturis Deo sic dilectis, in ci-  
bum vtimini, quomodo non præ  
dulcedine prorsus liquefcitis, atque  
in diuinas laudes erumpitis, atque  
vobis persuadetis non panem aut  
vinum vos manducare aut bibere,  
sed veri Dei carnem & sanguinem?

R 2 O Pa

O Panis. O vinum benedictæ creaturæ, laudent & prædicent vos omnes aliæ res creatæ, quandoquidem conditor vos præ cæteris dilexit, singulari quæ hoc honore affect.

O terra. O aqua. O aer. O ignis. O lapides. O herba. O arbores. O colles. O montes. O campi. O aues. O animalia. O cæli. O creaturæ omnes visibiles, & inuisibiles laudate atque extollite panem & vinum quos Deus tali honore, ac fauore profecutus est.

O benedicti vos campi, valles, colles, montes, ac plana, in quibus frumenta seminantur, & vineæ plantantur, è quibus nobiles hæ creaturæ proficiscuntur: Benedicat vobis Deus, & cælum sit vobis semper clemens ac mite: longè à vobis sint fulgura, tempestates, aliæque quæ vobis nocumentum adferre possint.

O maledictos Dæmones, qui has creaturas nobis inuident, ideoque grandine, fulmine, ac tempestatibus frumenta & vineas, creaturas  
ita

ita Deo dilectas producentia, la-  
dere ac perdere connituntur.

O vos inuidi, cur quæso hæc mo-  
limini, nisi quòd odio hostili Ie-  
sum prosequamini & insectemini?

Ego vobis in virtute pretiosi san-  
guinis Domini mei IESV Christi  
præcipio, vt ad honorè panis & vi-  
ni creaturarum benedictarum, nun-  
quã audeatis in vlla mundi parte,  
quam veri Christiani IESV Chri-  
sti filij inhabitent, fulgite, grandi-  
ne aut tempestatibus, frumento &  
vineis nocere, aut damnum ali-  
quod inferre.

O Filij Iesu Christi, ô Christiani,  
este veri Christiani, & nolite blas-  
phemare, nec maledicere corpori  
& sanguini Domini nostri IESV  
Christi. Nolite diebus festiuis se-  
minare, laborare, aut aliquid ad  
frumenta aut vineas pertinens age-  
re: sic namque futurum confido,  
virtute corporis & sanguinis Do-  
mini nostri IESV Christi, vt huius  
præcepti virtute Dæmones vltra  
vineis & frumentis per tempesta-

R. 3 tum

390 HORTVS ORAT.

tum immisionē non sint nocituri.

Estote tantū boni Christiani, timete & colite & honorate IESVM ac panem & vinum ob honorem & reuerentiam corporis & sanguinis eius magis in honore habetote, namque virtute huius corporis & sanguinis, cogentur Dæmones etiam quīti vestro precepto obedire. Amen.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

MEDITATIO II.

math. 26:

**A**CCIPITE & comedite, hoc est corpus meum. Contemplare hīc anima mea, potentiam sponsi tui: cū enim ante consecrationem nihil aliud adesset quā panis & vinum, per benedictionem & sacramentorum verborum prolationem ea conuertit in verum corpus & sanguinem DEI. ō rem inauditam: ō rē mirabilem. Quis vidit aut audiuit vnquam huic simile? nouissima coena IESVS adhuc viuens, & ad mensam cum discipulis suis resedens,

PARS SECUNDA. 39

dens, accipit panem, illumque in illud idem corpus suum quod mensa absidet, commutat: manducant discipuli hoc corpus & bibunt sanguinem eius, & IESVS nullum omnino adferunt detrimentum, o rem obstupendam.

IESVS ad mensam cum corpore sano & incolami sedet: & nihilominus vnusquisque discipulorum, cum Iuda proditore corpus hoc pretiosissimum & sanctissimum integrè, sine vlla corporis aut fractione aut sectione suscipit: fregit quidem IESVS panem, sed corpus nõ frangitur nec diuiditur: sed sub vnaquaque panis particula totum & integrum manet. o mysterium profundissimum & incomprehensibile.

Residet nunc IESVS cum ineffabili gloria ad dexteram Patris cum corpore integro, perfecto & omni defectu carente, & nihilominus cum sponsa sua S. Ecclesia in sacramento altaris corporaliter in diuersissimis totius mundi locis

R 4 manet,

manet, & quotidie à sacerdotibus  
sacrorum verborum virtute innu-  
meris in Ecclesijs consecratur,  
manducatur, & sumitur, is tamen  
nullum accipit detrimentum, sed  
semper idem in seipso permanet.

O Sancta & benedicta fides, quæ  
facis vt firmiter credam & teneam  
tam sublime ac profundum myste-  
rium.

O benedicta & sancta Romana  
Ecclesia, quæ à sponso tuo I E S V  
Christo digna habita fuisti, tam in-  
signi thesauro.

O quàm verè S. Propheta, de  
hoc sacramento loquens exclama-  
re potuit. *Memoriam fecit mirabilium*  
*suorum misericors, & miserator Domi-*  
*nus, escam dedit timentibus se.*

*Psalm. 110.*

O bone I E S V quàm præcla-  
rum memoriale mirabilium tuo-  
rum reliquisti sponsæ tuæ S. Ec-  
clesiæ Catholicæ Apostolicæ Ro-  
manæ? O S. Ecclesia I E S V Christi  
sponsa quàm dilecta, quantisque  
thesauris à sponso tuo locupletata  
es, quos tamen omnes, sacramen-  
tum

tum hoc, in quo tibi sacrum corpus  
& sanguinem suum relinquit, faci-  
le antecellit & superat.

O te ter quaterque beatam ac fe-  
licem Ecclesiam sponsam IESU  
Christi Domini nostri, cui sponsus  
tuus tam excellentem memoriam  
mirabilium suorum impartitus  
est.

O Sacerdotes. O ministri IESU  
Christi, attendite dignitatem ve-  
stram, quandoquidem vobis pote-  
stas collata est in corpus & sangui-  
nem Christi Iesu. Vos estis qui in-  
genti hac præditi estis authorita-  
te, ut possitis eum quotidie de cælis  
in altare virtute sanctorum verbo-  
rum attrahere. Vos illum, quoties  
placet, suscipitis, & alij IESU  
Christi filij in Ecclesia, illum ma-  
nibus ministratis.

O fortunatos vos, si tales quales  
vos esse decet fueritis, puri videli-  
cet & mundi ab omni inquinamento  
peccati, cum sacris altaribus, tremenda  
& veneranda hæc mysteria consecra-  
turi, & appropinquatis. Hoc enim

R. s. ille



ille, qui hanc vobis dignitatem contulit, exigit. Sancti, ait, estote, quoniam ego sanctus sum.

Leuit. II.

Leuit. 21.

Sacerdotes Domini incensum & panes offerunt DEO, & ideo sancti erunt Deo suo, & non polluent nomen eius.

O vos miseros & infelices, si conscientia scelerum maculis inquinata, sacris altaribus vos ingeritis, atque immundis, & spurcis manibus vestris puritatem, ac munditiam filij DEI tractatis.

O LESV quanta est patientia tua? qui sustines quod abiectissimae creaturae, conscientijs suis foedis & contaminatis te tractent & excipiant.

O Munditia totius munditiae: o pulchritudo totius pulchritudinis: o puritas totius puritatis: o delitiae Paradisi: qua fronte diebus singulis ausus sum ad sacra altaria accedere, teque de caelis ad terram euocare, manibus meis contingere, tractare, & demum ore immundo, & quod maius est, anima omnibus vitijs & immunditijs inquinata & conspurcata.

cata, suscipere. *o*ne miserum quid  
hactenus egi: & etiamnum ago.

O IESU, quomodo cum adhuc  
scelerum meorum præteritorum  
sordibus & immunditijs immerfus,  
iacerem, ausus fui his sanctis my-  
sterijs appropinquare: & nunc heu  
quanta cum oscitantia, & tepidita-  
te coram tua diuina Maiestate asto?

*Benedictus Deus, qui non amouit mise-  
ricordiam suam, à me.*

*Psalm. 65.*

Benedicta sit, *o* Domine, ineffa-  
bilis tua misericordia, quæ hucus-  
que tam longanimiter & patienter  
me præstolata est, & tandem vio-  
lenter ex inscrutabili, abyssu imma-  
nium scelerum, & sordium mea-  
rum extraxit, & finem flagitijs meis,  
quibus tuam altissimam maiesta-  
tem offendebam, imposuit.

O benedicte IESU, in tua mise-  
ricordia spem habeo me ultra in-  
tã turpia, & execranda scelera, qui-  
bus hactenus te inhonorauit & con-  
tẽpsi, nõ casurum, atramẽ adhuc ple-  
nũ sum ingratitude? erga te dul-  
cissimũ saluatorem, & Patrem me-

R. 6 um:

um: adhuc totus frigidus, & quodam teporis glacie cōstrictus sum, & quamuis quotidie intra viscera mea, licet indignus, fornacem ardentissimam tui sanctissimi corporis, & pretiosissimi sanguinis suscipiā, non tamen glacies hæc dissoluitur & liquefit, nec cor meum, atque anima frigida incalēscit.

Quare, dulcissime amor, te obsecro, liquefac, dissolue, & consume hoc gelu animæ meæ: Incende, vre, inflamma cor meum durum & frigidum: Ardeat, atque consumatur flagrantissimo tui amoris igne. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeāt?*

*Prover. 6.*

O ingrata, & glacie cōstricta anima mea, si fieri non potest, vt quis ignitos carbones abscondat in sinu suo, & vestimenta illius non adurantur: quomodo diebus singulis immensum hunc ignem, & ignitam fornacem intra te suscipis, & ramē nō ardes, cū etiā forinsecus vestimenta calorē vi amburere, deberes interno cordis feruore ad externa mem-

membra erūpente, & seq; ostendente?

Duæ huius miraculi causæ sunt: vna innumera peccata tua, quæ olim commisisti: Altera est negligentia, qua in rebus ad seruitium Dei, cui multis nominibus obligata es, spectantibus vteris. Expergiscere igitur de somno pigritiæ, ô tepida & dormitans anima, & cum ingenti desiderio in hunc ignem te abijce: ac Deo tota contentione atque industria famulare, ad ipsum suspira & clama, auxilium illius atque opem incessanter implora.

O Animæ deuotæ, quæ hoc igne ardetis, quæ toto corde atq; animo Iesu Christo sponso vestro seruitis: quæ quotidie, aut certè frequenter ad sumptuosam & delitijs affluentem hanc mensam acceditis, & corpus & sanguinem IESU Christi, sponsi vestri participatis, intercedite apud illum pro me, vt amoris sui igne cor meum succendere dignetur, vt & ego hoc igne ardens ei fideliter seruire, ipsumque medullitus amare valeam. Amen.

R 7      In

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen.

## MEDITATIO III.

**H**OC est corpus meum. Ausculta anima mea sanctissima verba dulcissimi sponsi tui, quibus discipulos suos ad participationem corporis sui inuitat. *Accipite, ait, & comedite, hoc est corpus meum.* Similibus verbis nunc fideles omnes filios suos continuo allicit: *comedite, inquit, amici, & bibite, & inebriamini carissimi.*

*Matth. 26.*

*Cant. 5.*

Num veritatem corporis Domini in hoc sacramento in dubium vocare potes? Num dicere vales hinc non esse rerum corpus illius? Ore proprio Christus hoc affirmat: ille in qua qui errare & falli non potest, ille qui est ipsa veritas, & adhuc dubitabis?

Vtinam o bone IESU tam securus essem me in gratia existere, tibi-que placere, quam certus sum in hoc sacramento verum corpus & sanguinem tuum contineri. Vtinam tam verè cor meum tui amoris igne arderet, quam firmiter & indubitanter

bitanter hoc credo: Utinam tam verè tuo amore inebriarer, quoties te tracto & suscipio, quàm minimè dubius sum te hìc præsentem adesse: utinam tam verè toties cor meum facibus amoris tui succenderetur, quoties immaculatæ carnis tuæ, & pretiosi sanguinis particeps fio, quam sine aliqua dubitatione hìc verè præsentem esse credo & confiteor.

*Accipite & comedite, hoc est corpus Matth. 26. meum.* Mâduca secure fidelis anima, quia in hoc sacrificio nō immolantur amplius carnes taurorum, vitulorum aut hircorum, vt in veteri lege, sed verum corpus I E S V Christi sponsi tui: *Hoc est,* ait, *corpus meum:* quasi diceret. Transijt tempus sacrificiorum antiquorum, hoc autem quod nunc immolatur & sacrificatur est corpus meum: illa sunt quæ figurabant: hoc autem quod figurabatur. Quare manducate filij mei corpus hoc cum fide firma, neque enim falsitas aliqua dictis meis subesse potest.

○ I A-

O IESV amor meus, quanto me amore amplecteris, quandoquidem teipsum & corpus tuum in cibum mihi tribuis: Sit tibi laus & benedictio Domine, qui tantæ benignitatis es.

Quid autem ô Domine, tibi pro omnibus, quæ mea causa facis, rependâ? Quas tibi gratiarum actiones pro tã insigni beneficio referâ.

Si tantum ad mensam tuam me inuitasses, ut isdem cibus, quibus tu vesceris, me reficerem, singularis hæc benevolentia foret: atq; omne meritum meum superans: quantum ergo beneficium hoc esse censendum est, quod nõ solum me inuitas ut tecum manducem, sed etiam carnem & corpus tuum mihi in cibum præbes? Vnquamne huic aliquid simile compertum fuit?

Multæ matres quo vitam suam conseruarent filios suos manducasse leguntur: at quod aliqua carnes & corpus suum pro filijs alendis ipsis in cibum præbuerit, nusquam factum legimus: nisi à te dulcissime

IESV,

IESV, qui vt amorem tuum nobis patefaceres, omnia signa & terminos amoris transcendere voluisti.

Matres filios tantum in lucem edunt, illosque alijs vt plurimum nutriendos tradunt, at tu non sic egisti, sed filios quos primo in creatione generali, & deinde in redemptione regenerasti, ipsemet nutriendos suscipere voluisti.

Aliae Matres, quae filios suos ipsae nutriunt, lac suum sicut duntaxat ad nutrimentum praebent: at tu dulcissime Iesu filios tuos nutris carnis & sanguine tuo: Sit tibi benignissimo & amantissimo Patri, laus & benedictio. O Filij tam benigni Patris: o Christiani: o fideles, diligite Iesum qui tantoperè vos dilexit: seruite IESV qui vt vobis seruiret carnem suam vobis manducandam, & sanguinem bibendum dedit. O amorem, o charitatem.

O IESV dulcissime sicine fieri decet? Tunc me tantoperè diligis vt teipsum mihi in cibum praebas, & ego tui nullam rationem habeam?

Tunc



Túne caritate *Q*debis erga me, & ego id flocci faciam? Túne in amando ita excedes, vt te manducari à vilissimo verme sustineas, & ego tantum amorem contemnuam? Túne bone I E S V me insequeris: & ego à te fugiam? Túne violenter me vocabis, & attrahes, & ego te totis viribus à me repellam? Quis tantum vquam scelus auditu accepit? O immensum amorem tuum erga me. O meam ingratitude. Sed ò Domine, hanc viuendi rationem amplius non sequar: vitam corrigere, aliamque tibi placentiorem amplecti cupio: at cum hoc sine tua ope perficere non valeam, obsecro vt mihi auxilio esse velis: neque enim deinceps ingratum erga te animum ostédere, sed te toto corde diligere volo: quandoquidem dignissimus es qui ameris: Vnde S. Paulus Apostolus. *Si quis non amat Dominum nostrum IESVM Christum, sit anathema maranatha.*

Cognouerat ille per experientiam, quàm dulcis & gratiosus, quaque

que omni amore dignus esses : ac  
 proinde si aliquis tantæ ingrati-  
 tudinis inueniretur, qui te tam bo-  
 num atque amabilem non dilige-  
 ret, ei sempiternam maledictio-  
 nem in extremo iudicio impreca-  
 tur.

O Domine spes mea, adiuua me,  
 quia vitam emendatiorem dein-  
 cept amplecti, teque toto corde &  
 tota anima diligere cupio : Utinam  
 cum Matre tua de amoris magnitu-  
 dine contendere queam : Utinam ô  
 bone I E S U tecum etiam certare  
 possim, vtrum tu me, an ego te plus  
 diligam, attamen cum hoc impos-  
 sibile fit: te deprecor auxiliare mi-  
 hi, vt te toto corde & totis viribus  
 diligere valeam.

In nomine Patris, & Filij, &  
 Spiritus Sancti,  
 Amen.

*Finis secunda partis.*

TESTA-